

**PLAUTE, *Mostellaria*, II, 1 « *Servus currens* »**

*Par commodité, le dialogue n'est pas disposé en vers, comme il a été écrit.*

**PHILOLACHES** : (Euge), adest opsonium ; eccum Tranio a portu redit.

**TRANIO** : Philolaches.

**PHILOLACHES** : Quid est ?

**TRANIO** : (Et) ego et tu –

**PHILOLACHES** : Quid et ego et tu ?

**TRANIO** : Periimus.

**PHILOLACHES** : Quid ita ?

**TRANIO** : Pater adest.

**PHILOLACHES** : Quid ego ex te audio ?

**TRANIO** : Absumpti sumus. Pater inquam tuus venit.

**PHILOLACHES** : Ubi is est, obsecro ?

**TRANIO** : Adest.

**PHILOLACHES** : Quis id ait ? Quis vidit ?

**TRANIO** : Egomet, inquam, vidi.

**PHILOLACHES** : Vae mihi ! Quid ego ago nam ?

**TRANIO** : Quid tu, malum ! me rogitas quid agas ? accubas.

**PHILOLACHES** : Tutin vidisti ?

**TRANIO** : Egomet, inquam.

**PHILOLACHES** : Certe ?

**TRANIO** : (Certe,) inquam.

**PHILOLACHES** : Occidi, si tu vera memoras.

**TRANIO** : Quid mihi sit boni, si mentiar ?

**PHILOLACHES** : Quid ego nunc faciam ?

**TRANIO** : Jube haec hinc omnia amolirier. Quis istic dormit ?

**PHILOLACHES** : Callidamates ! Suscita istum, Delphium.

**DELPHIUM** : Callidamates, Callidamates, vigila !

**CALLIDAMATES** : Vigilo ; cedo (ut) bibam.

**DELPHIUM** : Vigila ; pater advenit peregre Philolachae.

**CALLIDAMATES** : Valeat pater.

**PHILOLACHES** : Valet ille quidem, atque (ego) disperii.

**CALLIDAMATES** : Bis periisti ? qui potest ?

**PHILOLACHES** : Quaeso edepol, exsurge : pater advenit.

**CALLIDAMATES** : Tuos venit pater ? Jube abire rursum. Quid illi reditio etiam huc fuit ?

**PHILOLACHES** : Quid ego agam ? pater jam hic me offendet miserum adveniens ebrium, aedis

plenas convivarum et mulierum. Miserum est opus igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces

tenet, sicut ego adventu patris nunc quaero quid faciam miser.

Mostellaria (Acte II, scène 1, extrait)